

P O M E R A N I A.

æmulationes ac distractiones, comitata sunt: quibus adductæ societates mercatorum inde emigrarunt. Secuta sunt cum Daniæ Rege Waldemaro I bella, qui Rugiis domitis, & Daniæ regno subjectis, Iulinum quoque jam intestinis seditionibus labefactatum, & mole laborans sua, captum solo æquavit, anno Christi 1170. Ut campi jam sint, maxima ex parte, ubi vetus Iulinum fuit, exiguo tamen oppido Wollin, veteris urbis vestigium retinente, adhuc superstite, quod D. Johannem Bugenhagium, pastorem Witebergensem, multarum in Germania & Daniæ *insulâ*, nascentem primum excepit.

*Vsedom.*

In proxima Wollinensi insula VSEDOM, quam Suevus & Panis fluvii concludunt, septem à Iulino versus occasum miliaribus, duo-

bus à Wolgasto, sede principum Pomeraniæ ultra Panis fluvium, ad Dameroam pagum, sita olim fuit *Winetba*, quam vetustæ cantilenæ, & fama per manus posteris tradita, & scripta in monasteriis reperta, ostendunt multis ante Iulinum annis, frequentia commerciorum, magnificentia, opibus, & potentia florentem; inundationibus & tempestatibus marinis submersam esse. Quidam circa annum Christi 830, Haldungum Sueciæ Regem eam evertisse, & portas urbis æneas, & alia munimenta, unâ cum emporio in Gothlandiam insulam transtulisse arbitrantur. Ferunt cælo sereno, & mari placido, adhuc fundamenta quorundam ædificiorum, & stratas ex filicibus plateas, Sundii longitudinem æquantes, conspici posse.

